SPECIMEN INAVGVRALE

DE

AETHERIS VINI ET AQVAE FRIGIDAE PRAESTANTIA IN FEBRE LENTA NERVOSA.

QVOD

CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

PRAESIDE

IOANN. CHRISTOPHOR. ANDREA MAYER

SERENISS. PRINC. HEREDIT. BORVSS. A CONS. AVL.
MED. ET PHIL. DOCT. MED. THEOR. ANATOM. PHYSIOL. CHIR. ET ART.
OBSTET. PROF. PVBL. ORDIN. CIRCVLI LEBVSIENSIS ET CIVITATIS
FRANCOFVRTANAE PHYSICO, ACAD. CAES. NAT. CVRIOS.
SODALI H. T. FACVLT. MED. DECANO,

DIE XXI FEBR. cIↃIↃCCLXXXIV. 1784

PRO GRADV DOCTORIS

MEDICINAE ET CHIRVRGIAE

LEGITIME OBTINENDO

PVBLICO ERVDITORVM SCRVTINIO SVBMITTIT

AVCTOR

IOANNES BENIAMIN OSWALD,

FABRIMONTANVS SILESIVS.

TRAIECTI AD VIADRVM,

E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.

Frankfurt a/d. O.

ILLVSTRI

EXPERIENTISSIMO DOCTISSIMOQVE

VIRO

IOANNI CHRISTIANO ANTONIO THEDEN

INTER SVPREMOS EXERCITVVM BORVSSICORVM

CHIRVRGO TERTIO

OMNIVM COHORTIVM TORMENTARIARVM

CHIRVRGO PRIMARIO

ACADEMIAE CAESAREAE NATVRAE CVRIOSORVM

SODALI CELEBERRIMO

PRAECEPTORI AC FAVTORI

SVMMA PIETATE

AD CINERES VSQVE COLENDO

HAS STVDIORVM PRIMITIAS

DEVINCTISSIMO ANIMO VOVET

AVCTOR.

§. I.
Inſtituti ratio.

De febre neruoſa nunc commentaturus non id inſtituo, vt integrum hac de materie conſcribam volumen: quandoquidem plures celeberrimi nominis viri iam pridem variis in ſcriptis huius febris indolem, naturam, cauſas, ſigna characteriſtica aeque ac medelam rationalem tanta expoſuerunt dexteritate et ingenuitate, vt vix ac ne vix quidem fieri poſſet, quin Medicorum nullus in inuenienda huius morbi diagnoſi et formanda indicatione a vera deflectat via. Ad quod accedit, quod neque animus mihi ſit, neque facultas, adeo ſubtilem accuratius eruendi materiam, et ad eandem illuſtrandam nouae velut lucis quidquam adferendi. Sufficiat ergo, vt praemiſſa breui huius morbi hiſtoria ad *aetheris vini et aquae frigidae in febre lenta neruoſa praeſtantiam* demonſtrandam me ſolummodo conuertam.

Ex crebris obſeruationibus clinicis nec non ex phaenomenis quibusdam chemicis iam dudum veriſimile mihi viſum eſt, iſtud principium, quod medicamentis aethereis abunde ineſt, cum principio, in quo latet vis vitalis corporum organicorum, maxima gaudere ſimilitudine. Qua de cauſa argumenta quaedam allegaui ſimulque hiſtoriam

 morbi

morbi enarraui, ex quibus patefiet, non inanem hanc esse speculationem, sed hac opinione suffultum me optimum vidisse aetheris vini vsum in febre lenta neruosa.

In aliis quoque morbis, vel a debilitate ortis, vel cum eadem iunctis, efficacem vidi aetherem vini aliaque medicamenta aetherea; et, quamuis non semper vitam seruarent, tamen iam singularis medicamenti cuiusdam virtus est habenda, si saltem aegroto languescenti per quaedam temporis momenta pro leuamine inseruire potest.

Quod ad aquam spectat frigidam, me quidem non fugit, *Illustr. et experientissimum* THEDEN, fautorem mihi per omne vitae tempus pro tot tantisque beneuolentiae signis summa pietate colendum, suis in scriptis perquam magnam et conspicuam aquae frigidae externe adplicatae efficaciam, in febribus putridis et exanthematicis, inflammationibus externis, herniis incarceratis, aliisque in morbis, experientia longaeua edoctum, laudasse, luculentioribusque exemplis probasse: tamen operae haud indignum duxi, publice eiusdem memorem esse, ad maiorem excitandam fiduciam erga remedium tam efficax, quam exigui pretii et insuper vbiuis locorum facile parabile; cum multi adhuc dentur, qui vel ex praeconcepta opinione, vel experientia nondum edocti, eiusdem vsum salubresque effectus aut prorsus denegant, aut saltem pro ancipiti et periculoso habent remedio.

Quamuis historia morbi in fine adiecta nullam habeat ad materiem speciminis ipsius relationem, tamen haud inutile putaui, eandem publici facere iuris, quod rariorem continet obseruationem, forte fortuna mihi oblatam. Etsi enim aegrotus ille morti occubuit, tamen historia edocebit vtilitatem crebrarum defunctorum dissectionum, ad deprehendendas morbi simulque mortis causas. Exinde enim profecto saepe inueniremus causas, quas haud opinabamur.

Sed

Sed frequentes defunctorum diſſectiones inter pia deſideria erunt numerandae, quamdiu praeconcepta opinio in damnum artis ſaluberrimae easdem prohibebit.

§. II.

Febris neruoſae lentae Diagnoſis.

Veteribus hanc febrim iam innotuiſſe, procul eſt ab omni dubitatione. Nam omni tempore et vbicunque locorum cauſas ad producendum hunc morbum exſtitiſſe, quis dubitabit? Vtrum vero hanc ab aliis febribus analogis, ab hecticis, putridis, a catarrhali maligna ſic dicta, ſeiunxerint et rite diſtinxerint nec ne? vix eſt credendum. Conſtat enim, veteres in Anatome et Phyſiologia neruorum non adeo peritos fuiſſe; ideoque haud mirum eſt, cur tantam in eorundem ſcriptis circa neruorum morbos inueniamus obſcuritatem. Qua etiam de cauſa diſquirere non ſum auſurus, vtrum febris noſtra ſit *Typhus* HIPPOCRATIS, an *eiusdem morbus craſſus,* an *paſſio cardiaca* COELII AVRELIANI, vel *morbus cardiacus* CELSI. Sufficiat, neotericorum quorundam opiniones eorundemque deſcriptiones allegare, qui ab aliis hancce febrim ſeparauerunt et confuſas hactenus ideas ordinauerunt atque concinniores reddiderunt.

Inde a temporibus WILLISII, cui *febris hectica maligna* audit, (vid. Eid. *Op. de morb. conuulſ.*) quo nomine propria haec febrium ſpecies definitur. Alias quoque ſub nomine *lentae*, *lentae malignae*, vel *hecticae*, vel etiam *malignae* venit. Denominatio autem, a malignitate ſumta, tam vaga eſt, et tam multis aliis febribus competens, vt vix ſciamus, quam cogitare debeamus febrim. Et quamuis febris neruoſa, quoad periculoſum vel ancipitem euentum, malignitate ſatis abunde polleat, tamen recentiores

confue-

consueuere, illis solummodo febribus malignitatis nomen praebere, quae vel explicite sunt putridae, vel saltem ad putredinem procliues: verbi causa, *febris putrida*, quid! *pestis* ipsa, *febris carceralis et intermittentes auctumnales malignae* a Celeb. PRINGLIO descriptae, (vid. Eid. *desea-ses of the army*) et omnes fere *morbi contagiosi.* Alii *len-tam* vocant, sed interdum cum *hectica* confundunt. Ex eorundem saltem descriptionibus sat apertum habemus, *fe-brim* eorum *lentam* nostram esse *neruosam.* Nam in sym-ptomatum enarratione maximam in partem nobiscum con-ueniunt. Quod vero ad causas attinet, in eo discedunt, quod affirmant, febrim lentam esse conatum principii vita-lis, ad infarctum visceris cuiusdam deobstruendum, vel ad stasin sanguinis circa viscus quoddam discutiendam, et sic imminens periculum auertendum. (vide IVNCKERI *Consp. med.* p. 650.) IVNCKERVS tamen (v. *l. c.* p. 561.) a *hectica lentam* seiungit, et exulcerationem visceris cuiusdam, qua *hecticae* causam, accusat; in quo etiam cum recentiorum opinione conuenit. Alii vero vtramque febrem vnam eandemque et gradu solummodo distinctam habent, sic vt haec febris minori in gradu sit *lenta*, in maiori autem *he-ctica.* (vid. NIETZKY *Elem. Pathol.* p. 541.). Eiusdem-que opinionis est Celeb. CARTHEVSER (vid. *Fundam. Pa-thol. et Therap.* p. 706.) qui binas vnius eiusdemque indo-lis, et saepius symptomaticas, quam essentiales esse, asserit.

Interim hanc febrim, aliarum instar, cum variis com-plicatam esse posse, non solum verisimile est, sed et expe-rientia testatur. Imprimis vero cum putrida se complicare plurimum solet. Id quod mirum non est, cum sciamus, quantum miasma putridum vim debilitet neruorum, mo-tusque deprimat vitales. Pari modo miasmati contagioso se iunxisse apertum est ex obseruationibus quorundam. SYDENHAMVS (vid. *Op. vniu. sched. monit.* p. 517 et seq.)

febris

febris mentionem facit, quae, quoad ſymptomata quaedam, neruoſae ſimilis eſſe videtur, quamquam vniuerſe ſumtam, potius inflammatoriam malignam vocarem. Ex HVXHAMI (vid. *Opp. phyſ. med.* P. I. p. 134. et 135. Edit. Reich.) aeque ac ex *Cel.* WEIKARDI ſcriptis (vid. *verm. med. Schriften* 2 *St.* p. 216.) compertum quoque habemus, febrim neruoſam lentam epidemice ſaeuiiſſe. Interdum, praeprimis ſub morbi initio, cum ſymptomatibus quibusdam inflammatoriis eſt complicata. Leuem tonſillarum phlogoſin aliquoties videre mihi contigit. Perſaepe vero ſimplex, et ſine vllo alio morbo comitante haec febris lenta neruoſa idiopathica adparet; quae quidem eſt ſpecies, de qua hic verba ſum facturus.

Accuratiorem deſcriptionem componere non audeo, quam *Cel.* SELLE (vid. *Pyretol. meth.* p. 284.) conſtruxit. In ordine febrium tertio, atactarum nempe, et in harum genere tertio ſequentia habet verba:

„Habitus corporis laxus, debilis, ſenſilis. Cauſae „praegreſſae ſyſtema neruoſum defatigantes. Incipit leui „horrore, cum errante repentino calore, ſaepe vix per„ceptibili; languoris ſpecie, animique deiectione, pulſu „celeri, inaequali, nunc forti, pleno, nunc vero et ilico „paruo, debili et fere inconſpicuo, nonnunquam naturali „tardiori, vel non multum ab eo diſcedenti. Ita ſtatus „ſaepe repit ſine luculento periculo, cum tunc ex impro„uiſo ſymptomata grauiora accedant. Capitis dolor et „grauedo, Vertigo, Nauſea. Dolor oppreſſiuus praecor„diorum. Vomitiones inanes. Vomitus acidi humoris. „Singultus. Lingua initio alba, poſtea rubra et arida, etſi „vix vnquam ſitis, denique tremulenta. Torporis ſpecies, „ſomnolentia, et tamen aeger ſomno deſtituitur, vel ſaltem „fugax tantum eſt, ſoporoſus, pauoribus interruptus, „non delectans. Oculorum triſtior adſpectus ſordidusque,

„lucem fugientes. Sternutatio. Calor et horror inaequa-„les, ſaepe dum caput ardet, pedes frigeſcunt. Calor ad „contactum naturalem non ſuperans, interne vrens. Su-„dores fugitiui, gelidiuſculi. Vrina tenuis, limpida, non-„nunquam turbida nec ſecedens, quandoque autem opti-„ma facie critica, absque vlla ſymptomatum alleuatione. „Poſt haec conuulſiones. Delirium manifeſtius, raro „phreniticum, ſed tranquillum, labiorum et manuum moti-„bus, oculis intentis, et quaſi ſtudioſe quid adſpicientibus. „Vires decreſcunt, ita, vt laeuiſſimo ſaepe nixu, animi de-„liquia, et ſudores fugitiui adpareant. Extremitates fri-„geſcunt. Pulſus tremulus, vndoſus, intermittens. Aegri „in principio valde irritabiles, nunc ſurdi et ſtupidi fiunt. „Imminente morte delirium comate finitur, excreta inuite „profluunt, ac vniuerſalibus conuulſionibus, vel morte „apoplectica aeger e medio tollitur."

Cum hac deſcriptione eleganti etiam conueniunt *Cel.* HVXHAM, (vid. *Opp. cit. P. II.* p. 78.) vt et *Clar.* VOGEL (vid. *Praelect.* p. 39. et Eid. *Handbuch* p. 403.) Quod vero ego addere audeo Symptoma, in iis interdum obſeruatum, qui crebris manuſtuprationibus praegreſſis in hanc febrim inciderant, eſt dolor tenſiuus crurum, pedumque plantarum, cum cutis pedum exareſcentia. Quodque ſymptoma perquam moleſtum fieri ſolet, et aegrum iam reconualeſcentem in ambulando magis, quam debilitas vniuerſalis ipſa impedit.

§. III.

Aetiologia.

Symptomata fugitiuo tantum adſpectu conſiderantes animaduertimus, cauſam febris noſtrae in ſyſtemate neruo-

rum

rum haerere. Nam omnia ad neruos ſpiritusque vitales habent relationem, ad ſyſtema vaſculoſum directe nullam. Symptomata cumque cauſis praegreſſis, vt ſunt animi pathemata, corporis defatigationes et virium exhauſtus, nimiae humorum nobilium excretiones, diuturnae vigiliae, ceteraque ſimul ſumta, faciunt vt eluceat, febris lentae neruoſae cauſam proximam in vis neruoſae, quae vitalis eſt, diſſipatione et penuria eſſe quaerendam, et hoc modo non adeſſe cauſam materialem. Cur autem vnae eaedemque cauſae praegreſſae et occaſionales, varios homines ſimul inuadentes, non in omnibus hunc producant morbum, nimis forte ſenſuum iudicium excedit, adeoque rationes inexplicabiles reddit. At certum videtur, praediſpoſitionem quandam neruorum totiusque corporis adeſſe debere, vt iſte morbus prorumpat. Vtrum vero haec neruorum praediſpoſitio in penuria gelatinae naturalis ad ſtructuram neruorum neceſſariae ſit quaerenda, qua fit, vt nerui ipſi nimium exſiccentur, vel an in ſolidarum neruorum particularum nimis laxa cohoeſione conſiſtat; qua vtraque cauſa neruorum fabrica ita commutatur, vt ſpiritus vitales, quoad quantitatem et qualitatem neque rite ſecerni, neque iamiam ſecreti in organa ad motus vitales neceſſaria deferri queant, itidem difficile eſt definitu. Interim in eo omnes fere recentiores conueniunt, debilitatem et ſenſibilitatem morboſam adeſſe neruorum, a quibus, ſi nunc accedit vis vitalis penuria, febris lenta neruoſa oritur; ſi autem vires adhuc ſunt integrae, nec exhauſtae, irregulariter autem per neruos debiles et nimium ſenſiles motae, morbi naſcuntur neruoſi dicti, vt ſpaſmi, et conuulſionum cohors, ſub variis aſſumtis denominationibus.

Sic habitus corporis laxus, debilis, ſenſilis, tanquam cauſa praediſponens, anſam praebet, vt cauſae praegredientes, ſyſtema neruoſum defatigantes, efficaces fieri,

 morbique

morbique ipſius eruptionem promouere poſſint. Ni breuitati ſtuderem, omnia ſymptomata cum cauſis praegredientibus, occaſionalibus et proxima compararem. Eo autem omnia redeunt, vt ſymptomata quaedem ex debilitate neruorum, eorundemque vis penuria, alia ex ſenſibilitate, et pauca quaedam ex impuritate primarum viarum ortum trahant. Sicque tria formari poſſunt ſymptomatum genera:

Primum illa continet, quae motus oſtendunt imminutos, vt languor vniuerſalis, animi deiectio, pulſus celer, paruus et ſubinde intermittens, naturali debilior, inconſpicuus et tardus, vertigo, torpor et ſomnolentia, oculorum triſtior adſpectus, aliaque.

Secundum genus illa amplectitur ſymptomata, a ſenſibilitate et vis vitalis, quae adhuc ſupereſt, irregulari motu oriunda, quo nomine huc referri merentur: dolor capitis et grauedo, vomitiones inanes, ſingultus, pauores ſomnum interrumpentes, oculorum erga lucem ſenſibilitas, ſternutatio, calor et horror inaequales, calor vrens, ſed ad contactum inconſpicuus, delirium et conuulſiones.

Tertium tandem genus illa comprehendit, quae pro ſaburrae in primis viis conditione, hoc vel illo modo ſeſe manifeſtant, et velut accidentalia vel occaſionalia conſiderari poſſunt. Huc referri merentur dolor praecordiorum oppreſſiuus, (quod quidem ſymptoma, ſi vomitione praegreſſa adhuc ſupereſt, ſecundo generi adnumerari poteſt.) vomitiones acidi humoris, lingua initio impura, pariter ac leuis diarrhoea ſubinde ſuperueniens. Si autem morbus compeſci nequit, et omnis ſic vis conſumitur vitalis, tunc vigiliae et delirium in ſomnolentiam vertuntur letalem, propter ſolidorum inactiuitatem excreta inuite profluunt, ſanguis tunc ſtagnat, et aeger prorſus exſtinguitur.

§. IV.

§. IV.

Crisis.

Ad crisin quod attinet, spes maxime fallet, si perfectam eandem, instar aliorum morborum, exspectare vellemus. Nam in febre lenta neruosa idem contingit, quod in febribus plerumque fieri solet intermittentibus; in quibus raro adparet crisis, sed potius tantum lysis. Si proprie loqui velimus, hic neque crisis, neque lysis locum habent. Nam cum crisis sit eliminatio morbosae materiei, per vires cooperantes coctae, et ad eliminationem paratae, per excretionem vel naturalem auctam, vel praeternaturalem; lysis vero idem sit naturae conatus, sed paulatim et vix perceptibili modo fiat: in febre neruosa autem nulla distincte appareat causa materialis, vt supra iam dictum est, nulla adparere potest crisis. Me quidem non fugit, de crisi febris neruosae per sputum, sudores largiores aequales et calidos, vrinam copiosam, lenem diarrhoeam, varias exulcerationes, perque alias vias, auctores scripsisse: verum enim vero existimo, istas febres vel cum aliis a materiali causa oriundis esse complicatas, vel eliminationes criticas fuisse morbi effectus; quo motu durante particulae quaedam, diuturnis humorum exagitationibus corruptae, foras promouebantur. Plerumque sequitur somnus quietus et subleuans, a quo expergefactus aeger filum denuo corripit ariadneum iam semiabscissum.

§. V.

Prognosis.

Omnia hic pendent partim a corporis constitutione et morbi gradu, partim a medici prudentia. Si vires vitales

 prorsus

prorſus exhauſtae, et neruorum fabrica maxime corrupta; ſi morbus ad ſummum iam peruenit gradum, ſi cauſae adſunt, vel morbum augentes, vel, vt aeger conualeat, vario modo impedientes, ſi medicus vel morbum haud rite dignoſcit, vel male ad eius progreſſum attentus, iuſtum amittit tempus, ſiue aequam non ſeligit methodum: tunc aeger profecto peſſimum experietur euentum, qui variis ſeſe manifeſtat ſignis, eo conſpirantibus, vt omnia ingraueſcant ſymptomata, et mortis ipſius indicia, ſat abunde nota, adpareant. Morbi etiam complicatio hic locum habet, et ſic multo periculoſior eſt, quandocunque cum miasmate epidemico vel putrido eſt iunctus. Interim iuſta adhibita medendi ratione, morbo inſuper ſporadice tantum veniente, plerique reſtituuntur, quid! in epidemia a *Cl.* WEIKARD deſcripta, fere nullus mortem obiit.

§. VI.

Diaeta et Regimen.

Ex hucusque dictis adparet, febrem lentam neruoſam inflammatoriae plane eſſe oppoſitam. Quam congruum exiſtimatur in poſteriore regimen antiphlogiſticum, omneque remedium exaeſtuans euitare: tam noxium eſt, aegrum priore decumbentem nimium refrigerare. Medium hic optime conuenit. Aër ſit purus, neque calidus, neque frigidus, interdum quoque particulis acidis aeque ac odoriferis impraegnari poteſt. Quiete decumbat in cubili aegrotus, nulloque modo turbetur; omnes enim tam animi quam corporis commotiones, debilitatem augent, quin etiam animi deliquia vel deliria cauſantur. Potulentis ſubacidis, ſimulque nutrientibus delectatur aeger; ſi variationes amet, diaetetica plura praeſcribat medicus, vt aquam hordeatam, acido quodam et ſaccharo nuptam, ſerum la-

ctis

ctis vinoſum et ſinapiatum; decoctum e pane, vino rhenano, acido citri, lacte, ouis et aromatibus paratum, a Gallis vulgo *Panade* vocatum; decoctum ceraſorum ſiccorum et cetera. Laudari quoque meretur potus quidam Anglis conſuetus, *Beef Thee* vocatus, et e carne bouina macilenta coctione paratus (*v. Leviſon lond. med. Praxis*, 1 *Th.* p. 54.) Sed omnium potulentorum maxime hic proficuum vinum eſt; quo ex genere vetus rhenanum prae aliis eſt eligendum, licet etiam alia laudentur, vt *Madera, Malaga* et *Claret*, vt vulgo audiunt. *Cel.* LEVISON (*l.c.*) feminam vidit, febre neruoſa laborantem, ſanitatem recuperaſſe ſolo vini rubri vſu. Quae in vini vſu cautelae ſint obſeruandae, ſymptomata eorundemque mutationes docebunt. Haud ſaepe vero congruum ducerem, ad integras menſuras illud per diem porrigere, vt praecipiunt quidam. (v. *Macbride Einleit. in die theor. und prakt. A. W.* 2 *Th.* p. 502. et *Vogels Handb.* p. 433.) Ad victum quod attinet, animalis eſſe poteſt. Nam cum gelatina, coctione ex carnibus extracta, ſubſtantia ſit, naturae animali iamiam appropriata, eo facilius ſyſtemati noſtro aſſimilari poteſt, et ſic vires non ſolum reddit exhauſtas, ſed et, vt aeger citius conualeat, ſuum contribuit ſymbolum. Pari modo iuſcula conueniunt, particulis mucilagineis vegetabilium inſtructa. Gelatina cornu cerui magnopere delectantur langueſcentes. Ad motum quae ſpectant, erectio a lecto primum ſufficit, vsque dum eundem relinquere poteſt, et ambulare diſcit aeger. At cauendum eſt, ne nimium hic feſtinemus; noxias enim viderunt quidam medici ſequelas, inprimis in puerperis hac febre laborantibus. Denique vero curru et equo vehi conualeſcentes oportet. Quantum linteaminum mutatione reficiantur aegroti, ſatis notum eſt, poſtquam veterem praeconceptam opinionem reliquerunt medici. Simili modo frigida delectat lotio,

et

et haud raro ſomnus quietus, ſudorque aequalis, vterque ſubleuans, ſequitur.

§. VII.

Indicationes et Curatio.

Iam ſupra dictum eſt, febrim lentam neruoſam inflammatoriae plane eſſe oppoſitam. In hac vis vitalis admodum eſt aucta, et conſueto magis commota, reactio fibrarum ſumme intenſa etc. In illa vero vis vitalis deficit, motus ſunt depreſſi, reactio fere prorſus abolita.

In aliis morbis vel cauſas materiales remouere, vel ſymptomata mitigare conamur. Praeſens morbus vero non a cauſa perſpicua quadam materiali, ſed ex defectu principii cuiusdam, quod vitale eſt, naſcitur; quo reddito, omnia quoque vel pleraque ſaltem periculoſiora euaneſcunt ſymptomata. Ex his generalis definitur medendi norma: *principium* nimirum *vitale eſſe reſtaurandum*, *viresque totius ſyſtematis compenſandas.* Quae de triplici ſymptomatum genere ſupra dixi, regulis ſpecialibus ſtatuendis inſeruire poterunt; quod nempe 1) *primas depurgemus vias*, 2) *nimiam neruorum ſenſibilitatem auferamus*, et 3) *principium vitale reſtituamus.*

Quam neceſſarium ſit, omnes eliminare impuritates, in primis viis inueniendas, ſat notum eſt: cum ſciamus, has easdem non ſolum ſeriem producere morborum, ſed et obſtacula eſſe ſanationis. Quae vero depurgatio maxima precautione hic eſt inſtituenda. Nam quantum etiam lingua impura, ructus putridi, bilioſi, vel acidi, conatus vomendi et vomitiones ipſae eadem egere videantur, maxime tamen cauendum eſt, ne nimiis et reiteratis euacuationibus, praecipue tribus a morbi eruptione praeterlapſis diebus, plus noceamus, quam proſimus. Quod quidem perfacile

fieri

fieri poteſt, ſi medicus vel miasma quoddam putridum aliusue generis arguere, vel bilis apparitione ſeductus, omnem bilis accumulationem noxiam eliminare vellet. Aeger hic ſolummodo eſt depurgandus ad remouenda impedimenta, non cauſae auferendae gratia.

Laxantia antiphlogiſtica, verbi cauſſa, manna, pulpa caſſiae et tamarindorum, cremor tartari, et quaedam ſimilia, ſat efficacia ſunt ad aluum, ſi neceſſarium ſit, ſoluendam. Plerumque vero lene vomitorium ex Ipecacuanha, interdum tartaro emetico nuptum, ſufficiet, vt emeſis ſimulque catharſis efficiatur. *Cel.* VOGEL (v. Eid. *Handb.* p. 420.) rhabarbarum ſali medio nuptum, vel tincturam rhei cum tartaro tartariſato et liquore anodyno minerali Hoffmanni, large maritatam, commendat. Reiterationes vero ſunt euitandae. Interim clyſmata, praeſertim in morbi progreſſu, non ſunt negligenda, quibus mediantibus non ſolum ſordes noxiae eliminantur, ſed clyſmata, particulis nutrientibus inſtructa, ſcopo nutrienti ſimul inſeruire poſſunt, ſi forte aeger nutrimenta deglutire aut ferre nequeat. *Cel.* HVXHAM (v. *Opp. cit.* P. II. p. 84.) enemata ſuadet ex lacte, ſaccharo et ſale compoſita.

De euacuationibus verba nunc faciens haud incongruum duco, de ſanguinis euacuatione quaedam monere. Noxias ſemper his in febribus habet ſequelas, omnibus conſentientibus. Interim perfacile eſt, huncce committere errorem, ſi ſymptomatibus quibusdam inflammatoriis ſeducamur. Certe hinc factum eſt, vt plures iamiam aſſererent: cum quaque vncia ſanguinis, vitae etiam emitti vnciam. Semel mihi videre contigit, quod aegroto, libidine exhauſto, et exinde hac febre laboranti, incauta manu vnciae decem cruoris detraherentur; quia Chirurgus, propter faucium doloroſam rubedinem id neceſſarium putabat. At ſymptomatum cohors ingraueſcebat, et

miser ille, in languorem insanabilem detrusus, mortem obibat.

Ad secundum quod attinet symptomatum genus, eo nos anniti oportet, vt motus irregulares ordinemus, sensibilitatem neruorum morbosam diminuamus, et laxitatem eorum omniumque solidorum corrigamus. Ex his enim omnia huic generi adnumerata oriuntur symptomata. Simul vero patet, epispastica, anodyna, opiata, et remedia adstringentia, hic maxime esse congrua. Ad sedandos motus inordinatos optime conueniunt sinapismi et vesicantia; de quibus omnia esse expectanda *Cel.* MACBRIDE (*v. system. Einleit. 2 Th.* p. 502.) asserit. Nuchae, suris, regioni cardiacae aliisue locis adplicata, certe, si spes quaedam adhuc superest, salutares praestant effectus. Attamen experientia constat, sinapismos in plerisque huius generis aegris esse praeferendos, quia vesicatoria, cantharidibus instructa, vel stranguriam causantur, vel, si morbus ad summum iam peruenerit gradum, facile putrescunt.

Inter motus inordinatos calor etiam vrens est numerandus. At, quam vtilia in aliis febribus sint salia media, auxilium tamen hic denegare videntur. Inprimis nitri vsus hic est euitandus, quippe quod noxie stimulat, vimque vitalem deprimit. Melius conueniunt subacida, quid! acidum vitriolicum ipsum. Potionibus mixta admodum calorem morbosum imminuunt, simulque delectant, si insuper syrupo conuenienti, qui etiam virtute anodyna vel somnifera instructus esse potest, sunt nuptae. Acidum tartari puritatis gratique saporis caussa omnibus fere est praeferendum. Interim e medio-salinis quaedam sunt aestumanda, vt spiritus Mindereri, et sal absinthii citratum, inprimis sub morbi initio, dum adhuc, vt subinde fieri solet, febris remittentis speciem prae se fert; calorem tunc

tunc mitigant, et ſalutarem diaphoreſin excitant, eoque magis, ſi alexipharmacis miſcentur.

Nimia neruorum ſenſibilitas opiatis caute adhibitis, optime diminuitur. Sed cauendum quoque, ne vim vitalem ſimul nimium deprimamus. Praeterea autem, ſi ſpaſtici adſint affectus, quotusquisque non expertus eſt ſaluberrimum moſchi large praeſcripti vſum?

Ad laxitatem et debilitatem corrigendam, roborantia balſamico-amara deſtinata eſſe videntur. Huc refero corticem peruuianum, radicem valerianae et ſerpentariae, folia roriſmarini et forte adhuc quaedam alia. Quae medicamina neruis ſunt amica, experientia teſte. At vero haud neruis ſolis, ſed et omnibus ſolidis ſuccurrunt, inprimis cortex peruuianus: quippe qui praeſtantiſſimum forte eſt remedium, quo ad auferendam laxitatem eiusque ſequelas nullum aliud remedium maiorem fidem meretur. Principium camphoratum, quo ſerpentaria et folia rorismarini ſunt inſtructa, vires ſimul attollit. Hic quoque acida fortiora locum habent, imprimis circa morbi finem, vbi Elixir acidum fere inſtar omnium inſeruire poterit. Ferrum denique, vt et aquae martiales, vi adſtringente, qua pollent, vltimum praebent robur.

At ſpero, nullum eſſe exiſtimaturum, me id velle, vt quibuslibet ſingulis ſymptomatibus alio diuerſoque remedio medeamur. Interdum plura diſparent, dum vnicum ſolummodo debellamus: quod ſaepe fieri ſolet, ſi mature ad roborantium vſum progredimur; ad quem certe haud mature ſatis feſtinare poſſumus: interdum quoque caſus dantur, qui compoſitam exigunt medendi methodum, pro ratione varietatis et multitudinis ſymptomatum. Profecto melius foret, ſi vnico remedio omnibus indicationibus ſatisfacere, omniaque ſymptomata compeſcere poſſemus.

 Certum

Certum eſt, in quouis animali ſyſtemate partem quandam adeſſe ceteris debiliorem, vel etiam plures partes debiliores, quae, morbo forte nato, prae ceteris magis vexantur. Et hiſce partibus ſpecialiter auxilio venire aequum eſt. Sed cum in febre neruoſa cauſa adſit generalis, ex qua omnia huic ſecundo generi adnumerata naſcuntur ſymptomata, remediumne forte eſſet inueniendum, quod fere directa via fabricam neruorum a ſtatu naturali digreſſam mutare poſſet? Hanc in ideam identidem intento mihi arridet aqua frigida externe adplicata, quae certe vt praeſtantiſſimum ſolidorum roborans topicum aeſtumandum videtur.

Cl. WHYTT (vid. *ſämtl. Schr.* p. 489.) eam commendat ad corrigendam neruorum laxitatem, debilitatem et peruerſam ſenſibilitatem. *Cl.* et *experientiſſimus* THEDEN, cuius praxi clinicae per decennium adſtare, et aliquot millia aegrotorum, propria manu, *Illo* auſpice, tractare mihi licuit, in febribus putridis, quin etiam exanthematicis circa abdomen et ſcrotum, huiusmodi aegrotos aqua frigida ſaluberrimo euentu fomentauit. Omnia perſaepe ſolida, ad diſſolutionem iam prona, denuo reuiuiſcebantur, morsque ipſa interdum fugabatur.

Pari modo aqua frigida agit, ac adſtringentia remedia; partes ſolidorum conſtitutiuas nimium laxe cohoerentes, vt fortius cohoereant diſponit; aucta cohoeſione robur iterum reſtituit, et ſic ad functiones adaptat. Inſuper hac gaudet praerogatiua, quod ſine vlla corporis intentione vires medicatrices exerceat; cum e contrario alia ventriculo ingeſta, a viribus corporis noſtri cooperantibus, quodammodo mutari debeant, antequam officium complere poſſunt: quae quidem praerogatiua magni eſt momenti, ſi vires deficiunt cooperantes totius ſyſtematis.

Ex

Ex hiſtoria infra enarranda patefiet, aquam frigidam interdum eſſe vnicum ſolamen, vnde euitetur, ne morte pereat aeger. Feminae reminiſcor, febre lenta neruoſa decumbentis, cui bis per diem aquae frigidae lotionem ſuadebam. Inuite paruit conſilio. Subſequebantur ſedes quaedam liquidae enormiter foetidae. Clamabat adſtantium cohors, aquam frigidam diarrhoeae damnoſae moleſtias attraxiſſe. At cum aegrota maximam perſentiſceret ſubleuationem, in continuatione perſeueraui, optimo cum ſucceſſu. Deſinebat alui profluuium et omnia in melius ſeſe vertebant. Si iam lotio tam ſalutares praeſtat effectus, quid de fomentationibus non erit expectandum? Si autem his ipſis vti volumus, per vices in die, et ad minimum hohorae vnius interuallo, magnis linteaminibus, abdomini et regioni pubis ſunt adplicandae. Interim hiſce aſſerere non audeo, aquam frigidam omnes e medio tollere febris lentae neruoſae cauſas: vitioſae vero fabricae neruorum conſtitutioni, adplicata aqua frigida mederi poſſe, plane ſum perſuaſus.

Ad tertium nunc progredior ſymptomatum genus, ex ſpirituum vitalium, vel vis neruoſae defectu oriundum, quodque fere pleraque et periculoſiora complectitur. Cuius generis ſunt languor vniuerſalis, animi deiectiones, pulſus inaequalis, paruus, debilis et fere inconſpicuus, torpor, ſomnolentia, ſopor, oculorum triſtior adſpectus, ſudores fugitiui gelidiuſculi, delirium tranquillum, animi deliquia, frigor extremitatum, ſurditas ſtupiditasque, coma, excretorum inuoluntarius profluxus, mors denique ipſa. Quibus medendis principium aethereum medicaminum quorundam vel phlogiſton proficuum duco.

Sed antequam progredior, licitum ſit, rationes allegare, cur principio aethereo vel phlogiſto tantas adſcribam virtutes ſalutares. Quae vero rationes hac opinione ſuf-

 fulciuntur,

fulciuntur, *materiem electricam Physicorum, Phlogiston Chemicorum, et id principium, a quo pendet vis vitalis Medicorum, vnum idemque esse principium.* Quam varia etiam sint phaenomena, ab his tribus principiis singulatim sumtis, enata, tamen verisimile est, omnia ab vna eademque pendere causa, cum natura ipsa sit simplex, et vi simplici varios diuersosque producere possit effectus. Augetur verisimitudo in animo nostro, si animaduertimus, haec tria principia, quoad subtilitatem, mobilitatem, penetrabilitatem aeque ac efficaciam, sibi inuicem esse similia, sparsimque producere effectus plane consentaneos. Vnitas est argumentum perfectionis; nam machina tanto est perfectior, quanto plures varii effectus a vi nascuntur simplici. Si vnicam agnoscimus creationis causam, vnicam quoque continuationis et mutationis causam, simili iure concedere possumus; quae quidem causa varios ostendit effectus, prout corpora ipsa vario modo sunt constructa, organisata et mixta, et prout principium huius causae cum hoc vel illo alio principio sese coniungit. Et summa cum verisimilitudine adfirmari potest, hanc causam in *phlogisto,* vel *materia ignis* et *lucis* esse quaerendam. Ex argumentis iam enarrandis videbimus, efficaciam phlogisti circa regnum minerale et vegetabile se dispergere, et maximos in iisdem producere effectus: cur ergo tertium, animale puta, alio principio instructum esse deberet, a quo pendent omnes motus vitales et animales, irritabilitas musculorum, sensibilitas neruorum, digestio nutrimentorum, chylificatio et sanguificatio? Sed consideremus sequentia argumenta:

I. *Materia electrica pari modo ac phlogiston calces metallicas, vt terras metallorum dephlogisticatas, reducit.* (v. *Mem. sur la reduction des chaux metall. par le feu elect. p. l. Comte de* MILLY.)

Obiici

Obiici forte posset, haud semper concludendum esse a similibus phaenomenis ad similes causas. At omnes in eo conueniunt chemici, regulos metallorum constare terra, cuiuis metallo propria et phlogisto: quo posteriore absumto, terra remanet in forma calcis; reddito autem phlogisto, immo solummodo eius ope, regulus iterum restituitur.

II. *Vegetabilia a phlogisto victum, maturationem et colorem sumunt, electrisatione autem negatiua flaccescunt inque putredinem ruunt. Electrisatio positiua vitam et maturationem vegetabilium promouet.*

In quouis oporophylacio videre licet, quod fructus et folia vegetabilium procliuitatem manifestent, ad solis radios se vergendi; quod ab iis colorentur, maturentur et dulcificentur; quod sine solis radiis pallida, austera et immatura remaneant. Et solis radios idoneos esse, ad phlogiston corporibus tribuendum, experimento manifestum est, dum acidum nitri dephlogisticatum vel rectificatum et albificatum soli exponamus, ex cuius radiis phlogiston, simulque colorem flaueo rubrum recipit, et sic in acidum nitri phlogisticatum vel spiritum nitri fumantem mutatur. Calces etiam metallorum per phlogiston ex solis radiis reduci possunt. Vegetabilia electrisatione negatiua, aeque ac frigore phlogisto priuantur, et tunc flaccescunt et pereunt. Pari modo vegetabilia decolorantur, flaccescunt et prorsus enecantur, si aëri ea exponimus, ex magnesia vitriariorum (*magnesium* vocant recentiores) dephlogisticata et acido salis parato. Magnesium dephlogisticatum tunc omne phlogiston ex acido salis fugit, acidum salis vero hoc modo dephlogisticatum phlogiston ex vegetabilibus recipit, simul vero e vegetabilibus color, rigiditas et vita ipsa discedunt. Similis decoloratio cum omnibus coloratis corporibus hoc modo institui potest.

III. *Cre-*

III. *Crebris electrisationibus et scintillis e partibus organicis animalium copiose extractis, hae partes maxime debilitantur, et vi motrice priuantur. Electrisationes nimiae, quid! tonitru, summus et maximus effectus electricus, animalia ad terram prosternunt, vel prorsus enecant, dum omne phlogiston et vna vice e corpore extrahunt. Partes paralyticae paucas emittunt scintillas, mortuae nullas.*

Partes etiam a corpore disiunctae tam diu scintillas emittunt, quam diu irritabilitate adhuc gaudent, idem fit in sanguine recenter emisso. Si ergo omnes hae partes phlogisto priuatae sensibilitatem, irritabilitatem motumque amittunt, certe in phlogisto causa latet, cur eo discedente, vis simul discedit vitalis. Commotiones electricae per se spectatae, id certe perficere nequeunt, cum alias et fortiores ferre possint commotiones. Idem concludere licet, ex phaenomeno, quod partes paralyticae paucas praebeant scintillas, mortuae nullas; deficit enim vis vitalis, deficitque phlogiston.

IV. *Torpedo* (germ. *Krampffisch, Zitterfisch, Zitteraal,*) *vi electrica abunde instructus, similes in corpore nostro parit effectus, ac machina electrica, vel electrophorus, saltem manus torpedinem siue mediate siue immediate tangens, pari modo pulsatur, sic vt paralyseos vel torporis species subsequatur.* (v. *Hamb. Magaz. 60. und 61. St.*) *Eoque loco, quo torpedo vim electricam maxime accumulat, plurimos quoque habet neruos.*

Torpedo iam dudum mirum fuit phaenomenon, et neotericorum obseruationibus manifestum est, quod ille piscis hancce vim electricam ad voluntatem dirigere, et, armorum instar eadem vti possit. Si hanc vim accumulauit, per instrumentum tangens tunc emittit et commotiones infert, quae etiam pluribus communicari possunt, qui manubus sese corripuere. Ex his saltem perspicuum fit, ma-

teriem

teriem electricam maximam in corpore animali cum neruis habere affinitatem; in quibus forte peculiari modo modificata vim constituit neruosam.

V. *Discessus phlogisti est causa putredininis substantiarum organicarum. Idem fit in febre putrida, simulque discedit vis vitalis.*

Solutionem putridam substantiarum organicarum attente considerantes, deprehendimus, idem fieri, quod fieri solet, dum metalla menstruis soluuntur. Phlogiston discedit, remanente substantia dephlogisticata. Sic tantum discernuntur, quod metalla reproducere possimus, minime vero substantias organicas, quippe quae posteriores variis aliis principiis iunctae, quorum miscelas haud rite noscimus. Insuper per multum et fere omnia pendent a regulari situ particularum constitutiuarum. In hoc quoque causa latet, cur reproducere non possimus substantias organicas solutas. In metallorum regulis nil pendet a particularum situ. Interim tamen necessitas ex dictis elucebit, quod in morbis putridis et febre neruosa, in quibus omnia solida, et tota corporis fabrica permultum patiuntur, ad organisationem oculos aduertere debeamus. Structura corporis integra vitam seruare nequit, sine vi vitali: et contra, vis vitalis nil efficere potest, sine instrumentorum integritate.

VI. Systema a morbis debilitatum, ferro vel potius eiusdem phlogisto, quo abunde gaudet, roboratur.

Quae veritas practicis medicis quidem sat innotescit; at licitum sit, *Ill. v.* SWIETEN verba allegare: „Hinc ferrum, ait, in lenibus acidis solutum, reliquis fere praefertur, quia non tantum vi austera adstringente agit, sed sulphuris sui metallici, naturae humanae adeo amici, miro stimulo vires vitae incitat." (V. EID. *Comm. T. I.* p. 37.) Duplex sic ferri dos est, quod laxitatem et debilitatem fa-

bricae neruorum corrigat vi adstringente et austera, et quod vim vitalem phlogisto compenset.

VII. Medicamenta aetherea neruis sunt amica, totum reficiunt systema, delectant atque roborant. Vix adhibita, aeger iam spiritum facilius et cum voluptate ducit, et denuo quasi viuidior redditus adparet.

Huc refero medicamenta tam simplicia, vt camphoram, olea essentialia, balsama natiua, moschum, ambram: quam pharmaceutica quaedam, vt vini alcohol, vinum ipsum, naphthas chemicas. Quae omnia phlogisto abundant, quod plus minusue purum iisdem est immixtum, imprimis naphthis chemicis tanta copia inest, vt fere penitus phlogisto constent.

Ex dictis nunc manifestum est, cum phlogiston et materia electrica similia praestent phaenomena, ambo quoque esse vnum idemque.

Quum porro ex obseruationibus circa torpedinem constet, vim electricam in corpore huius piscis viuo natam, in neruis accumulatam, et singularibus organis deductam, pari modo agere, ac materia electrica Physicorum: sequitur, vt haec vis electrica torpedinis sit principium cum phlogisto plane analogum.

Si extracto phlogisto ex substantiis organicis viuis per scintillas electricas, vis simul exhauritur vitalis, quid? quod mors ipsa inferatur, tunc certe in phlogisto causa latet, vnde consumtio et mors sequuntur.

Si denique viuiditas motuum vitalium in debita vis vitalis copia consistit, languor motuum vero in eiusdem penuria, et si medicamenta aetherea, quae phlogisto abunde pollent, motus attollunt, neruos excitant, totumque systema reficiunt, iterum concludo, phlogiston et vim vitalem vnum idemque esse principium, et posterioris defectum priori esse restituendum.

Quod

Quod phlogiſton variis in coniunctionibus varios quoque oſtendat effectus, Chemia ſat ſatis edocemur. *Materiem caloris* tantum conſiderare debemus, ex phlogiſto et aëre dephlogiſticato compoſitam: quantasne haec producit in metallis, aliisque corporibus mutationes! Sic forte in organis vitae cum gelatina tenuiſſima vel aqua elementari principium hoc eſt coniunctum.

Interim non perinde eſt, quo vtamur medicamento, principio phlogiſtico vel aethereo inſtructo. Quo purius, eo vtilius. Particulae enim crudiores, quibus hoc vel illud eſt inquinatum, noxios producere poſſunt effectus. Ad doſin quoque eſt attendendum, prout plus minusue eſt mixtum. Quo purius eſt medicamentum, eo minor ſit doſis. Reiteratio doſeos ab effectu pendet. Nimium largae doſes plus nocerent, quam prodeſſent, et profecto pariter ac nimium ſtimulantia agerent, de quibus *Cel.* HVXHAMVS (vid. *Op. cit. P. II.* p. 85.) monet, quod noxium ſit, remediis fortioribus, calidis, volatilibus alcalinis ſalibus, ſpiritibus, caeterisque vti. „Nam profecto, ait, liquidum „vitale exhauriunt, ingens ſpirituum deiectio, tremor, ten„dinumque ſubſultus ſequuntur, ac haud raro rigore, fri„gido viſcidoque ſudore, ſyncope aut ad coma procliuitate „finiuntur.“

Cel. THEDEN emulſionibus analepticis vtitur, ad erigendas vires vitales, et optimo quidem ſucceſſu. Has emulſiones componit e paſta amygdalina, Elaeoſaccharo analeptico, et ſale volatili cornu cerui.

Quae de Naphthis quibusdam chemicis ſint expectanda, ex ſequenti hiſtoria elucebit.

Iuuenis quidam miles, octodecim circiter annos natus, gracili corpore et ſanguineo temperamento inſtructus, libidini deditus, aegre ſe habere incipiebat. De laſſitudine artuum, totiusque corporis languore, doloribus tenſiuis,

vagantibus, virium proſtratione et de refrigeriis frequenter eum inuadentibus, leuique calore mutantibus, primum querebatur. Tribus diebus praeterlapſis et hiſce ſymptomatibus auctis cubile petere coactus eſt. In noſocomium nunc translatum inueni pallidum, genas collapſas, faciem totam macie quaſi confectam, oculos languentes et in orbitas retractos. Vox erat ſubrauca et tremula, tremebantque artus, in ſpecie manus. Situm tenere nequibat erectum, ſine animi deliquii apprehenſione. Labia oris ſicca, lingua muco albido et ſubflauo tecta. Deglutitio quodammodo difficilis ob tonſillarum dolorem, leuemque rubedinem, abſente tamen omni earundem inflatu. Tuſſi nunc et ilico vrgente paululum pituitae exſcreabat. Licet ad noſocomium portatus, tamen magnopere erat defatigatus, ſic vt ſtatim cubare eſſet coactus. Pulſus paruus, celer, ſubinde dicrotus. Cutis ſicca, in pedibus, cruribusque arida. Interdum ſurae pedesque extremi leuiter, ſed doloroſe conuellebantur, pedesque frigebant. Auditus erat obeſus, caput graueſcebat ſed non dolebat. Neque nauſea aderat, neque conatus vomendi, neque vllum putredinis ſymptoma. Vrina pauca et limpida.

Circa veſperam leue aegrum inuadebat refrigerium ſubſequente calore, leniori tamen ad tactum, quam pro aegroti ſenſatione. Siti admodum cruciabatur. Nocte ingruente dormire incepit, at ſaepe pauoribus interrumpebatur.

Quinto die, quamuis omnia eſſent, ac die praegreſſo, exceptis vertigine et ſudore circa pectora, qui ſuperuenerant, ſe bene habere, mihi interroganti, reſpondit. Id quod fere ſemper per totum morbi decurſum factum eſt, pariter, ac ſi ſtatus ſui periculoſi inſcius eſſet.

Secundo a morbi initio die Ipecacuanhae ope euacuebatur; dein temperantia ſumebat ſalina. Iam ego potionem ordinabam cum ſale abſinthii citrato, ſpiritu Mindereri et Syrupo

rupo papaueris omni hora cochleatim sumendam, et ad leuandos faucium dolores, gargarismata discutientia. Suris vesicatoria adplicabantur, vnde larga seri copia effusa. Totam cutim aqua tepida lauari iussi, cum ad ipsam depurgandam, tum ad lenem atque aequalem sudorem prouocandum. Potulenta erant diluentia et subacida. Cibos haud appetebat, interdum tamen cerasa confecta, prunaque sumebat cocta.

Morbo nunc ad sextum diem protracto symptamata ingrauescebant. Vehementer interne ardebat aeger, sitis erat permagna, lingua ex flauo fusca, labia sicca, et pariter, ac dentes, crusta obtecta. Septimo die adparebat diarrhoea, et vomituritio post quamque medicinae dosin. Comatosus decumbebat, somnolenter delirans, et excitatus vix ad se rediens.

Sic imminente periculo propinabam infusum calidum corticis peruuiani et serpentariae, spiritui cornu cerui, et laudano liquido Sydenhami nuptum, interpositis dosibus Camphorae Saccharo tritae. Sed haec quoque ferre denegabat ventriculus. Emulsionem cum laudano porrigebam, sed pari modo, ac alia, euomebat aeger. Sua sponte vomitione non vexabatur, at solummodo post quamque medicinae dosin. Tentabam quoque aquas aromaticas, et aërem fixum, at sine vllo alleuamento. Ad regionem cardiacam vesicatorium adplicabam, et enemata carminatiua, sed incassum. E contrario omnia in peius ruebant, et aeger ad discessum e vita pronus videbatur. Pulsus erat fere inconspicuus, tremulus, intermittens, subsultus tendinum, spasmique cynici adueniebant, lacrimas tenaces effundebant oculi, auditus surdus, loquela clamor inconditus, et intellectu difficilis. Lingua arida, tota cutis sudore colliquatiuo et tenaci inquinata, excreta inuoluntarie profluebant.

Hic ſtatus erat decimo die. Tanto in periculo plura inſtituere tentamina ad auferendum vomitum non audebam: auxilium vero recuſare non poteram. Sed quo erat fugiendum? Arriſit aqua frigida, quam per horam abdomini pudendisque, magnis et complicatis linteamentis exceptam applicari iubebam, ſimul vero guttulas quatuor aetheris vini, ſedulo et peculiari modo a *Cel.* THEDEN parati, cum ſaccharo porrigebam, non ſine nouae vomitus reiterationis metu. At vero, non ſolum non ſequebantur vomitus, ſed totum neruorum ſyſtema excitabatur, pulſusque attollebatur. Hoc exoptato effectu accenſus omni bihorio eandem aetheris doſin, omni trihorio autem frigidas repetebam fomentationes, et omnia in melius ſe vertebant. Nocte ingruente delirium ſomnolentum ceſſabat, quietus incidebat ſomnus cum reſpiratione profunda, ſubinde tamen interrupta. Nocte media expergefactus aeger hauſtus quosdam aquae citratae deglutiebat et iterum dormiebat ad craſtinum diem vsque.

Tota cutis ſudore moderato tunc erat madida, oculi ſereni ſine vllis lacrimis, pulſus aequalis, mollis, ſed languidus. Aetherem, ac priſtino die, ſumebat ſine vlla per vomitum reiectione. Veſicatoria ſuris adplicata, et quodammodo putrefacta admodum dolere incipiebant. Lingua mollis et pura. Per vices vrinam mingebat quodammodo turbulentam. Diarrhoea ceſſauerat. Circa meridiem cochlearia quaedam iuſculi gelatinoſi, et vini pauxillum rhenani ſumebat, ſubſequente ſomno.

Decimo tertio die non poteram, quin denuo periculum inſtituerem, vtrum aliud ferre poſſet medicamentum. Eligebam infuſum corticis frigidum, at, vomitione iterum ſubſequente, ſtatim deſinebam, ad aetherem et aquam frigidam reuertens: cuius vtriusque remedii ſalutari effectui erat tribuendum, vt iſte aegrotus in dies ſpem ſalutis

magis

magis magisque oſtenderet, et denique plane reconualeſceret.

Ad morbi finem interdum porrexi circa noctem ſpiritum cornu cerui cum ſale volatili, et laudano liquido Sydenhami; quae mixtura ſomnum inducebat, quo aeger ſaepe erat deſtitutus. Cum denique omnia ferre poſſet, corticis largior vſus, ferrum, victus animalis, vinumque rhenanum vires reſtaurabant. Leue pedum oedema a debilitate ortum ſudoriferis et diureticis auferebatur, et ſanitate nunc gaudet perfecta.

Spero fore, vt quisque hanc obſeruationem dignam exiſtimet ad probandam opinionem, quod noxia fabricae neruorum mutatio aqua frigida corrigi, vis autem vitalis penuria principio aethereo compenſari poſſit. Plures obſeruationes docebunt, quantum huic methodo ſimpliciſſimae ſit fidendum.

Hac occaſione non poſſum, quin medicamentum commemorem, quod non ſolum in hoc, ſed etiam in aliis morbis neruoſis, ſalutare eſt aeſtumandum. Quod eſt, *liquor anodynus martialis*, *a Cel.* KLAPROTH denuo deſcriptus et emendatus. (vid. SELLE *neue Beytr. zur Nat. u. A. W. 1 Th. S. 137.)*. In hoc aether depuratiſſimus, ſimulque ferro arctiſſime maritatus, indicationibus certe ſatisfacere poteſt, neruos ſcilicet roborare, vimque vitalem phlogiſto compenſare. Pari modo liquor anodynus mineralis Hoffmanni, naphtha vitrioli, nitri et vini in animi deliquiis agunt; vix enim ſaltem alio modo earundem operationem declarare poſſum.

Quod reliquum eſt, haud credo, meam de febris neruoſae cauſa, eiusdemque medela, et de vis vitalis principio prolatam opinionem ita conſideratam iri, quaſi impetum in *Ill.* HALLERI doctrinam de ſenſibilitate et irritabilitate ſim facturus. Merita huius celebratiſſimi Viri adeo eminen-

eminenter ſunt elata, quam vt has ipſas eiusdem opiniones oppugnare auderem. Interim medicum, qui in obiectis tanti momenti ad intelligentiam quandam peruenit, exiſtimo feliciorem illo, qui, abſtractis ideis contentus, meris viribus ſine vlla materialitate delectatur. Atque haec pro ſpecimine ſufficiant.

§. VIII.

De cordis excoriatione obſeruatio.

Colophonidis loco liceat excoriati cordis hiſtoriam attexere, non quidem argumento noſtro, quod nunc pertractauimus, conſentaneam, memoratu tamen, noſtro ſaltem iudicio, haud indignam. Vir quidam maior quadraginta annis, maritus, et duorum liberorum pater, miles et ſellarum opifex, habitus corporis ſicci, temperamenti cholerici, vitam degens regularem, hucusque ſanitate perfecta gaudens, quantum mihi innotuit, excepta febre remittente, quae decimo quarto aetatis anno eum inuaſit, et affectibus rheumaticis, quibus ante duos annos fuit obnoxius, ſine vlla cauſa praegreſſa oppreſſione et anxietate pectoris, et grauiſſimo circa praecordia dolore corripiebatur. Facies erat glauca pallidaque, reſpiratio breuis celeris, maximeque anxia; tuſſi ſubinde vrgente, pauxillum pituitae exſcreabat, breui cum ſubleuatione. Pulſus plenus, durus et frequens. Chirurgus aduocatus ſanguinem e vena miſit, alterantia quaedam porrexit, et ſic paroxiſmus, qui quinque circiter horas durauerat, maximam in partem ceſſauit, remanente tamen leui pectoris oppreſſione.

Quatuor diebus praeterlapſis idem paroxiſmus eum inuaſit, qui quidem profligatus, poſt alios tres dies decima veſperae hora aegrotum noſtrum iterum corripuit. Quum vero dolores et anxietates perferre poſſe neque credidit, neque

pati

pati voluit, ſcalpello raſorio correpto, vulnus ſibi ipſi in collum inflixit, ad vitam finiendam miſeram. Quo peracto humum cecidit, magnamque cruoris copiam profudit.

Vulnus quinque circiter pollices longum, et a ſiniſtro ad dextrum latus ductum, non ſolum intugumenta communia, et venam iugularem dextram externam penetrauerat, ſed larynx quoque erat inciſus, ſic vt os hyoides cum epiglottide et apicibus cartilaginum arytenoidearum eſſent abſciſſa. Hoc modo apertura aderat ſatis magna, vt latus poſterius faucium per vulnus in conſpectum veniret, et digitum, ſi placuiſſet, in laryngem introducere potuiſſem. Labia vulneris vltra pollicem et dimidium hiabant, margines inaequales varios iugulum abſcindendi conatus manifeſtabant. Pituitam ſanguinemque in tracheam ſtillantem leui tuſſi per vulnus exſpuebat aeger: pari modo omnia ori ingeſta per vulnus effluebant, ad ventriculum nihil penetrabat.

Sic ad me transferebatur. Primum, quo modo vulnus ſit tractandum, perpendebam. Suturam cruentam ad reunienda vulneris labia congruam non putabam. Nam laryngis cartilagines ipſas ac baſin linguae, acu pertundere neceſſarium fuiſſet: ergo ſiccam eligebam. Vulnere depurato, linteo carpto ſicco repleto et emplaſtris adhaeſiuis vnito, faſciam vnientem colli ſuperdedi, omnibus oxycrato madefactis. Ceterum aegrotus haud aliquid deglutire poterat, quiete et viribus exhauſtus decumbebat ſine vllo dolore. Pulſus quodammodo durus, ſed paruus et celer. Sequenti die faſciam ſanguis penetrauerat; denuo deligatus aeger pariter ac priſtino die, infuſi theiformis pauxillum cum temperante ſumebat; at dimidia tantum portio in oeſophagum gliſcebat.

Tertio die doloribus praecordiorum denuo vexabatur; pulſus erat durus, celer et inflammatorius. Sanguinis vn-

ciae fex detrahebantur cum pauca fubleuatione. Clyfmata ordinabam, faeces induratas eliminantia.

Quarto die fuppuratio fefe manifeftans digeftiuis promouebatur. Vulnus fimpliciffima methodo tractatum fenfim fenfimque meliorem faciem acquirebat, et denique eo deducebatur, vt quarta hebdomade omnia effent cicatrifata, reftante folummodo laryngis apertura, quam apice digiti minimi penitus obturare poteram.

Dolores et anxietates cum interuallis quietis alternabant, at vires magis magisque decrefcebant. Iuftam indicationem ftatuere, re vera arduum erat: interim interne antiphlogiftica, refoluentia, opiata, volatilia et camphorata aliaque, externe inunctiones, epifpaftica, emplaftra difcutientia et clyfmata incaffum adplicabantur. Sed mirandum non erat, cum ab vna parte caufa lateret incognita et inuincibilis, ab altera vero vel nulla vel pauca tantum deglutire poffet medicamenta et nutrimenta; et, fi fiebat, fumma tamen cum virium intentione.

Interdum anxietates dolorofae adeo increfcebant, vt defperatione impulfus, denuo vitam finiendi pericula faceret, fed adftantium vigilia impediebatur.

Morbo tali modo protracto et aucto adeo exhauriebatur viribus aeger, vt animi deliquiis vexaretur, fi tantum e lecto furgere conabatur. Denique vero victus penuria et dolorum cruciatu emaciatus morte extinguebatur. Diffecto abdomine inueni ventriculum conftrictum et inanem. Pari modo inteftina nil continebant praeter fcybala faecum indurata. Hepar colore naturali difceffum, induratum et concrementis terreftribus inftructum. Veficula fellea admodum erat extenfa, et bile repleta, quae copiofe perfudauerat, et partibus vicinis colorem flauum induxerat. Lien quoque induratus, reliqua abdominis vifcera fana adparebant.

Thorace

Thorace aperto pulmo ſiniſter ſine vlla mutatione deprehendebatur, at dexter tota ſuperficie cum pleura, mediaſtino et diaphragmate firmiſſime erat concretus, nodoſus, vomicis quibusdam minoribus inſparſis. Cellulae mediaſtini anterioris lympham continebant congelatam. Pericardio autem inciſo vera morbi mortisque cauſa in conſpectum veniebat. Liquore pericardii copioſe effuſo, cor deprehendebatur plane decoloratum, pallidum, flaccidum, et ſubflaua mucilagine obtectum; qua digito abſterſa, animaduertebam, epidermidem eſſe ſolutam, et in mucum mutatam. Sic tota cordis ſuperficies erat excoriata, non vero plana vel laeuis, ſed papilloſa, aut potius ſuperficie internae villoſae inteſtinorum ſimilis.

FINIS.